

ADRESSE

PRÉSENTÉE À SON ÉMINENCE LE DÉLÉGUÉ APOSTOLIQUE, PAR LE PETIT
SÉMINAIRE DE MONTRÉAL, LE 22 JUIN 1884.

Olim Bernardus sacratam linguere vallem
Subque crucis vexillo pios ad bella vocare
Ausus, et exacto certamine tecta revisit,
Et quibus insenuit divina volumina versat.
Haud secus accedis, Bernardi ô inclyta proles,
Nec dulci dubitas cellæ valedicere, nobis
Felicem, pacis signum, allaturus olivam.
Quæ dignæ possint tanto pro munere grates
Persolvi ?..... Quantum nunc exultantia pulset
Corda tui adspectus, produnt vultusque sereni,
Et festi plausus manuum, modulique sonori.
Namque pium, ô Præsul, tibi dùm præbamus honorem,
Ipsam Pontificem augustum veneramus amantes,
Pastoremque Dei gregis. Olli provida cura est
De minimis ovibus, quæ late sancta virescunt
Pascua. Quæ regio Petri non plena labore ?
Dum stetit in speculâ, totum quæ prospicit orbem,
Trans mare præcipui direxit pignus amoris
Ad nos usque ! Sui legatum jussit adesse,
Qui faciem referat, vocem perducatur ad aures,
Atque locum teneat, te, quo præsentem videmur
Cernere personam majestatemque Leonis.
Ergo longum emensus iter, quum fine potitus
Optato, æternamque redux adveneris Urbem,
Atque pedes Summi Pastoris adesce licebit,
Quæsumus, affari nostris dignabere verbis :
" Illic si glacie cursus frenatur aquarum,
" At pia corda calent : summo incenduntur amore
" Christum erga, Christique domum, petramque perennem
" Quæ stat firma Dei domus : et te, maxime Præsul,
" Tanto amplectuntur studio, ut tua verba, loquentis
" Christi verba putent, ac pro te mille libenter
" Oppetiisse neces, fervens et summa voluntas.
" Illic vix pueri primas emittere voces,
" Balbutire pium nomen didicere parentum,
" Pro Patre, pro Papâ, Romæ qui præsidet, orant
" Æternum Patrem cælestia regna tenentem.
" Mox ubi discipulis altos collegia pandunt
" Fontes doctrinæ, tum credere corde docentur
" Illico, et audenti solemnius ore fateri :
" Romanam extra arcam nullam superesse salutem ;
" Hanc lucere facem jactatis æquore vasto,